



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. Relatum 12.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

In Cap. Relatum 12.

SUMMARI A.

1. Bonorum appellatione qua hic veniant.
2. An & jura & actiones?
3. Quid nomine Ecclesia.

HOc Cap. explicat Alexander III. S. Pont. illud Concilii Lateranensis in c. *Cum in officio* 7 sup eod. quo sancitum est, ut Clerici bona, quae ab Ecclesiis habent, penes eandem Ecclesiam relinquunt; explicat, inquam, ut bonorum appellatione contineri velit generaliter omnia bona, quae ratione Ecclesiae Clericus acquisivit, eaque eidem Ecclesiae restituenda esse, non alienando, aut de iis testando, nisi in quantum fert consuetudo, ut pauperibus & religiosis locis, aut illis, qui viveant ipsi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii. juxta servitii meritum, clar-

gantur. Et sic nota bonorum nomine hic contineri tam mobilia, quam immobilia.

Sed utrum jura & actiones? Quod certe verum est, ex l. *Bonorum* 49 D. De verb signif. Nam cur diversum esset in juribus & actionibus, nulla ratio suadet. Quamvis alioqui jura & actiones tertiam speciem constituant bonorum à bonis immobilibus, & mobilibus, ut in l. *A divo Pio* 15. §. 2. D. De re judic. Et in l. *Quam* Tabernus 7. §. ult. D. De peculio. Sed hoc ex usu loquentis aestimandum est, ut tradit hic Covarr.

Ecclesiae verò nomine, cui bona relinquenda sunt, si Clericus defunctus fuerit Canonicus, vel Capitulum sive Collegium ejusdem Ecclesiae: si alius, separatam administrationem bonorum suorum gerens, ut sunt Parochus, Praepositus, & alii similes, intelligitur ejus successor, per hunc taxum nostrum.

In Cap. Cùm tibi 13.

SUMMARI A.

1. Voluntas extrema an in dispositionem alterius committi possit; & rationes dubitandi.
2. Rationes decidendi, & c. h. varii intellectus.
3. Commissa voluntate alterius dispositioni, videri eum institutum heredem.
4. Nomen heredis an exprimi in testamento debeat.

HOc rescriptum Innocentii III. celebre est apud Interpretes utriusque juris, sed ob breviteratam suam valde obscurum & implicatam. Verba ejus haec sunt: *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* Mirum igitur videtur in hoc rescripto, quomodo is dicatur non decedere intestatus, qui nullum heredem scripsit, vel nuncupavit: at alterum horum necessariò requiritur in testamento, per text. in l. *Iubemus* 29. C. De testam. & in l. *Heredes palam* 21. in pr. D. eod. siquidem heredis institutio basis sive fundamentum est ipsius testamenti, l. *fin* D. De jure codicil. §. 3. Inst. De fideicom. hered. & §. ante heredit. 35. Inst. De legat. Secundò, testamentum est voluntatis nostrae justa sententia, l. 1. D. Qui testam. fac. poss. non igitur pendere potest ex dispositione alterius. Tertio, captatoria vo-

luntas dicitur illa, quae confertur in secretum alienae voluntatis, adeoque à jure improbata est, l. *illa* institutio 3. in pr. & l. *Captatoria* 70. cum l. *seq.* D. De hered. instit. Quae tria videntur vehementissimè pugnare cum decisione textus nostri.

Quocirca Glossa hic, ut hanc pugnam dirimat, intelligit hunc textum procedere ex benignitate Canonica, quasi aliter à jure civili sit receptum. Verum, cum odiosum sit hoc discrimen inter utrumque, ubi inter se conciliari possunt, c. *Cum expediat* 29. De elec. lib. 6. & l. *unica* C. De inoff. testib. haec Glossae interpretatio minimè admittenda est. Alium hujus rescripti sensum refert Innoc. hic, quòd scilicet verbis textus nostri dicatur defunctus in pias causas testatus; ita quòd is, cujus dispositioni voluntas ultima commissa est, teneatur erogare bona defuncti in pauperes, & in pias causas: quam interpretationem communiter receptam testatur Panorm. hic num. 4. & Imolanus. 4. circa med. quam & probat Covarr. hic num. 16. in fine quam & probat Covarr. hic num. 16. in fin. Sed cum haec sententia merà conjecturà nitatur, (quippe in textu nostro nulla pia causa sit mentio) non satis perspicuo, quâ ratione defendi possit. Alios intellectus adfert Ant. Butrius hic, quos longum esset referre; saltem hunc reculisse sufficiat,